

lectibus creatis concepte sunt vel conceptibiles, atque a Deo intellecta: plures sunt non pluralitate reali, sed quia in eis sunt plures respectus rationis ad intellectum, sunt conceptus autem, quam facio nunc de sapientia Dei, & quam facio de potentia aut consimilibus, quamvis ab aeterno non fuerint, tamen ab aeterno fuerunt intellecta a Deo, sicut, & ceterae creaturae. Unde index earum ab aeterno aliter fuerunt in Deo per modum rei intrinsecae, propter quod realiter fuerunt, & sunt idem quod Deus. Ego autem, & aliae creaturae non sumus in Deo per modum rei intrinsecae neque realiter, nec fuimus idem quod Deus, sed sicut obiectum, videlicet color, est in vidente; quoniam creatura ab aeterno fuit secundarium intellectus diuini obiectum. Dico ergo, quod pluralitas attributorum fuit ab aeterno per comparationem ad plures conceptiones, quae a Deo ab aeterno intellectae fuerunt, quas ex tempore format intellectus creatus, vel potest formare de perfectione diuina. Haec Richardus. Et hanc doctrinam multi, & pro maxima parte sequuntur theologi.

Aegidius.

¶ Veruntamen Aegidius praedictae doctrinae ad determinationem sancti contradicit doctoris. Ea etenim recitata, adiecit: Haec opinio licet aliquam contineat veritatem, non tamen est bene dicta, deficit namque in tribus. Primo, quia praesupponit impossibile, quoniam nunquam imponitur nomen nisi mediante conceptione. Secundo deficit, quia si intellectus immediate videret diuinam essentiam, & mediante conceptione sua ei imponeret nomen, vno modo seu nomine eam nominaret. Cum enim nomen repraesentet conceptionem intellectus, & conceptus ipsius intellectus formatur ex visione eiusdem, siue ex actu ipsius, & quia tunc effectus visio vna, esset & vnum conceptum ac vnum nomen: tamen diuersi intellectus diuersa ei imponerent nomina, quia nullus comprehendit diuinam essentiam. Ideo aliis alio plus intelligit, & id quod intelligit vnus, est aliud ab eo quod intelligit alius. Idcirco nominatio est alia, & alia. Propterea signanter dicit Chrysostronus, quod aliqui laudant Deum, vt bonitatem; alij, vt maiestatem. Tercio deficit, quoniam dicit, quod tota causa pluralitatis attributorum, est ex parte intellectus nostri. Ideo aliter est dicendum videlicet, quod pluralitas ista tripliciter potest assignari. Primo ex parte obiecti, secundum ex parte subiecti, tertio ex parte causae. Haec Aegidius.

Dionysius.

Aegidius.

¶ Quocirca pensandum, quod ideo dicitur positio nem Thomae praehabita praesupponere impossibile, quia (vt patuit) Thomae affirmat: si intellectus videret Deum per essentiam, imponeret ei nomen mediante conceptione, quam habet de eo, oportere adhuc, quod plura ei imponeret nomina &c. prout supra narratum est. In quibus verbis (vt clarum est) Thomas loquitur conditionaliter nec verum est, quod aliquid impossibile praesupponit, videlicet quod sine conceptione mediante imponat, aut queat imponere nomen alicui. Denique, secundum, in quo Aegidius dicit praesatam positionem deficere, verius esse videtur, quam quod ait Aegidius. Cum enim nullus intellectus creatus, quamvis beatus, plene diuinam comprehendat essentiam, posset ei imponere nomen vnum, quantum ad id, quod de ea intelligit; atque aliud nomen, quo ad id quod de ea non comprehendit. Tertium quoque, in quo corrigi, & emenda Thomae responsionem, nil superaddidit responsioni ipsius. Nemp, quod Aegidius di-

cit pluralitatem attributorum assignari ex parte obiecti, hoc est, quod Thomas dicit eam partim sumi ex parte Dei. Item quod Aegidius perhibet pluralitatem illam secundum accipi ex parte subiecti, hoc est quod Thomas testatur eam sumi partim ex parte intellectus nostri. Porro, quod Aegidius addit de tertio, puta quod etiam sumitur ex parte causae, non est nisi verbalis additio, cum & ipse Aegidius per causam intelligat vtrunque, nec aliquid addat, quod non in illis duobus a Thoma expressum sit, vt patet diligenter legenti scripta amborum. Insuper falsum est, quod Aegidius refert positionem praetactam asserere, quod tota causa pluralitatis attributorum sit ex parte intellectus nostri: imò vt patuit, positio illa fateatur quod partim sit ex parte Dei, partim ex nostro intellectu. Atamen verum est, quod Thomas affirmat, quod causa multiplicationis, seu pluralitatis attributorum sit ex parte intellectus nostri atque effectuum quodammodo, sicut expostum est, quod vique verum esse censetur. Magis enim est ex parte imbecillitatis nostrae mentis, quam ex plenitudine diuinae perfectionis. Imò, vt infra tangetur, etiam illi, qui dicunt, quod tota causa, & ratio pluralitatis attributorum sit ex parte nostri, possunt feliciter excusari, & cum positione Thomae, ac eius sequacium concordari. Sed, & ipse Aegidius in hoc cum Thoma concordat, quod distinctio, seu pluralitas attributorum non sit ex natura rei, utpote Dei, quamuis in Deo sit fundamentum vere correspondens distinctioni, ac pluralitati huiusmodi.

¶ Praeterea, quod inter attributa diuinae naturae non sit nisi rationis distinctio, manifestè concordat dictis Alexandri, Alberti, & Bonaventurae in his, quae scribunt super primum de diuina bonitate, vnitatem ac summa simplicitate. Idem monstratur, ex scriptis Antifiodorensis in Summa sua: Qui praedicti doctores probant id ipsum rationibus, auctoritatibusque idoneis; sicut, & infra tangetur.

¶ Ait equidem Alexander: Secundum beatum Dionysium libro de diuinis nominibus, cap. de ente, monade ide vnitatem, numerus omnis subsistit, in quantum vero ab unitate progreditur, in tantum discernitur ac multiplicatur, sicut in centro omnes linee circuli secundum vnitatem primam sunt continuatae, breuiterque distantes, breuiter discernuntur: & quae magis, magis. Ita in Deo omnium perfectiones, & rationes per vnam in confusam vnitatem sunt circiueolunt. Quemadmodum ergo si quaereretur de puncto, & vnitatem, an vnum vel multa sint, diceretur quod vnum re, & multiplex ratio est, ita est de diuina perfectione, atque ideis: quia secundum Dionysium, vna tantum est vnitatem diuina, in qua conuoluta sunt omnes vnitates creatae per exemplaritatem; nec distinguuntur in Deo, nisi ratione aut connotatione, aut respectu ad creaturas. Haec Alexander. Qui etiam dicit, quod essentia, & relatio non nisi ratione distinguuntur in Deo, similiter nec index: quanto magis nec est attributa sola sunt ratione distincta.

¶ Praeterea de hac attributorum distinctione scribit Albertus diffuse infra octaua distinctione dicendo: Quidam dicere voluerunt; quod nomina ista, videlicet bonitates, vita, sapientia, dicta de Deo, differunt per connotata in creatura: & non habent differentiam aliquam, si in Deo absolute accipiantur. Sed contra: Connotati est effectus in creatura, effectus autem non est a causa nisi vt causa,

tur

id est
id est
id est

id est
id est

id est
id est

De positio
ne Alex
dri Alber
ti, Bona
uenturae,
Antifio
dorensis

Albertus
id est

id est

Males,